

III. qui tantum praenotatur : *Incipit liber tertius. Ad Operis calcem: Explicit prosperi liber tertius uouente (fauente?) domino. Lectio ut plurimum proba est, maxime, cum secundae manus cura accesserit.*

Fol. ult. addita est manu, ut videtur, Sec. XII. sequens Epistola: C (Conradus I.?) Salzpurgensis ecclesie dei gratia quod est. Abbati P. (Petrensi?) ceterisque ibidem fratribus in christo congregatis. cum assiduitate orationum. seruitium deuotum. Quoniam in uicem sumus membra uni capiti scilicet christo adherentes. et alter alterius onera portare debemus. quicquid ex aduerso nobis acciderit. ad uestre portum sanctitatis confugiendo. uobis patefacimus. Nouit caritas uestra qualiter W. (Wezelinus?) abbas iniqua propulsione coactus a loco sibi commisso irregulariter eiectus sit et qualiter dominus bruno non per ostium sed aliunde subintrauerit. De qua re et prius uiua uoce uobiscum egimus sed parum in hoc profecimus. Monendo igitur sanctitatem uestram deprecamur. ut eum monendo. sanum consilium dando ad satisfactionem prouocetis. Si autem uos audire noluerit. licet hunc ordinem causa uestrae uenerationis inuitus infestem. secundum ordinis uestri institutum et instituta canonum eum uocabimus. et ad satisfactionem cogemus. Rogamus et ut eundem dominum brunonem monentis quod a nobis ratisbone conuictus se inique egisse confessus est. nec se amplius uelle intrmittere

sed ad proprium claustrum redire laudauit. Id est, publico scripto (Laudum) testatus est. Dum quis certiora doceat, conjecturas meas ipsi Epistolae insperfi; non enim aeo illo alium Episcopum C. et Abbatem W. Salisburgi simul egisse inuenio, quam Conradum I. et Wezelinum. Nisi quis dicat literam illam P. sub initium non Coenobium Petrense, sed aliud quoddam in Dioecesi Salisburg. significare.

Codicem nostrum ad Lambacense olim O. S. B. in Austria super. Monasterium pertinuisse, inuenire videtur vox Lambach summae fol. 3. p. 2. orae inscripta.

CCLXXVII. VII 2, 21

Codex membraneus lat. Sec. 259
X. Folior. nunc 188. f. pro diuersitate opusculorum, quae infunt, non una manu, sed ut plurimum nitide exaratus, rubricis distinctus, magnique pretii, continet: I. Bonifacii patrio nomine Wynfreti, Winfridi, Wenefridi, Angli ex Monacho Archiepiscopi Moguntini et Germaniae Apostoli, demum a Frisiis gentilibus anno Chr. DCCLV. ut tenet Pagius ad b. a. interfecti, plurimumque Pontificum, Regum, aliorumque Epistolas CXVII. quas ex hoc ipso Codice XXXIV. aliis ex Cod. Ingolstadiensi auctas in lucem dedit vir doctus Nicolaus Serarius S. J. Moguntiae 1605. 4. exemplaribus quibusdam annum 1629. praeferebantibus, non incelebri Typographorum mendacio.

dacio. Versatus est porro *Serarius*, cui *Moguntiam Codex* submissus fuerat, magna in exscribendo adcuratione, non tamen ea, quae omnis spicilegii spem succideret, adjecitque in calce *Notas*, quibus et Codicis ideam exhibet et singulas Epistolas illustrat. Nos pauca addemus. *Epist.* 1. corruptum illud *apoto grammaton agiis* legendum videtur *ἀπο τῆς γραμμᾶτος ἀγίης* ex sacra scriptura; puto enim *Bonifacium* alludere ad illud *Pf. LXXV. v. 6. Dormierunt somnum suum et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis. Fol. 2. p. 2.* literae quadratae Inscriptionis *Epist.* 3. singularis formae sunt et vix omnes per diversa a *Mabillonio*, *Hickeysio* et Autoribus *Novi Operis Dipl.* exhibita *Alphabeti* reperiundae. H ponitur pro E. Inversum C pro P. Inversum Z pro S. I, O, A, F, K facile agnoscuntur, difficulter vero T, L, B, N, D. Legendum vero: *Epistola Beati Bonifati Episko. Danielo. Episkopo. Bon.* Ejusmodi characteres pluries in Inscriptionibus occurrunt, quos an *Anglosaxonicos*, an *Francogallicos* dicam, haereo, quanquam ductus literarum minorum fatis ad priorem scripturam accedant. *Fol. 39. p. 2. ad calcem epist. 68.* linea literis uncialibus per scripta occurrit, quae etiam retrograde legi posse videtur, sed nihil divino praeter illius utrinque extrema *METRO hoc — coboRTEM.* Omisit illam *Serarius*, neque ad sequentem vocu-

larum feriem aliquid adnotavit. Eam hic repraesento, ut lector ipsemet observare possit, vocalas illas nomina esse literarum Alphabeti: *Asc. berc. can. donr. ebu. feli. gip. bagal. is. ker. lagu. man. not. os. pert. quirun. rat. suigil. tac. ur. ilc. ian. zar.* Apud quem vero populum literae singulae sic adpellatae fuerint, ignoro. *Hickeysius* in *Gram. Anglosax.* *Spelmanus* ante suam *Concilior. editionem* figuras et vim *Anglosaxonicarum* dare contenti fuere, *Mabillonus* de *Re Dipl. Runicarum* tantum nomina exhibet, atque ex his quaedam nostris affinia sunt, nempe B. Berc. *Biarkan.* H. Hagal. *Hagl.* I. Is. *Iis.* L. Lagu. *Lagur.* N. Not. *Naud.* O. Os. *Oys.* V. Ur. *Ur.* Nostris itaque nominibus literae fortassis *Anglosaxonicae* olim insignitae fuere.

II. *fol. 78.* sequitur Pars *Novi Testamenti*, videlicet *Actus Apostolorum*, *Epistola Jacobi* et *Petri prima*, praefixo cuius *Elencho Capitum*, qui admodum raro in antiquis *Bibliorum* exemplis occurrit. *Actus* Prologi loco illud *Hieronymi* ex *epist. ad Paulinum* habent: *Actus apostolorum nudam quidem sonare videntur historiam &c.* Praefationis loco illud Ejusdem: *Canit Psalmista; ambulabunt a uirtutibus in uirtutem &c.* quae duo in magnis *Bibliis glossatis* ante *Actus* in unum coagmentata leguntur. *Fol. 116. p. 2.* *Incipit Prologius de epistulis canonicis Numero VII.* Iterum locus ex *epist. ad Paulinum: Jacobus.*

bus. petrus. iohannes. iudas. septem epistolas. ediderunt &c. Sequitur peculiaris *Prologus* in *Epist. Jacobi*, qui sic sonat: *Jacobus apostolus sanctum instruit clerum, de cultura caelestium praeceptorum. et regula catholicae obseruantiae. et de inuictae patientiae maiestate. Et de reuelatione plurimorum: et de mendacio magistrorum.* Dein: *Incipit passio iacobi apostoli*, quae nil est aliud, quam *C. 2. Hieronymi de Viris Illustr.* Contuli cum edit. *Fabricii et Vallarsii*, et praeter leuiores menda inueni *Josippus* pro *Hegeppus*, huic *sollicitum* erat pro *soli licitum*, enarrare pro enumerare, iudeam gerebat pro regebat, biberat calicem *Dominus* pro *Domini*, quas duas ultimas lectiones vix non editis praehabeo. *Fol. 123. Incipit Prologus de epistula petri apostoli.* Hic tenor: *Discipulos saluatoris inuicti toto orbe diffusos. et peregrinos in hoc seculo monstrat. Et praeterite uitae peniteri suadet. et in nouam uitam proficere tota cum sollicitudine exortatur.* Subjicitur statim: *Simon petrus. filius iohannis prouinciae galilee. uico bethsaida. frater andreae apostoli*, quae sunt prima verba *C. 1. Hieronymi de Viris illust.* et nihil ultra. *Textus ipse in primo C. V. versu deficit.* Versio in omnibus his *tribus* sacris *Libris* vulgata est, character titulorum et subscriptionum quadratus miniatus, distributio Capitum ab hodierna diversa.

III. *fol. 129. Interpretationes et expositiones vocabulorum siue locorum veteris ac noui testamenti.*

Titulus hic manu, ut videtur, *Sec. XIV.* impositus est; deficit enim initium hujus *Glossae*, primaque nobis interpretatio est uocis *Ibex* ex *L. I. Samuel. c. 24.* quae sic incipit — — — *auium. ardua et excelsa teneant et in sublimi habitent. Ita ut de sublimitate uix humanis obtutibus pateant. Haec animalia in petris altissimis commorantur et si quando ferarum uel hominum aduersitatem persenserunt. de altissimis saxorum cacuminibus se praecipitantes. in suis se cornibus inlesa suscipiunt.* Reliqua, quae usque ad hujus *L.* finem exponuntur, sunt: *Clamis, Ora, Culex, Singultus, Scrupulus, Scipbus, Perdix, Fasciculus, Python, Astarath.* Ad hunc modum sequuntur Interpretationes: *De Parte II. Samuelis, de Libris Regum, de Prophetis maioribus et minoribus, de Libris Job, Psalmorum, Salomonis, Paralipomethon, Machabaeorum, de IV. Evangelis, Actibus Apost.* in quibus ultima vox est *C. XXVII. v. 17. Syrtis*, quae sic exponitur: *barenosa in mari magno loca. multum terribilia et metuenda. eo quod ad se omnia diripere soleant et adpropinquanti uadoso mari bereant, haec autem ad mare aegypti uicine sunt et pariter admiscentur &c.* Quisquis *Glossator* hic fuerit, neque enim *Walafridus Strabus* est, dolendum foret, quod ejus initium et finis e *Codice* hoc deperierit, nisi *Codex LXIV.* aliud perfectius Exemplar subpeditaret. Et literae plerumque infisit, et naturalis *Historiae*, profanaeque

fanaeque antiquitatis cognitione non aspernanda pollet et hebraei, graecique sermonis non penitus expers est. Ad C. VI. *Lib. II. Sam. v. 5. de Lyrae inventionem* haec tradit: *Cum regrediens nylus in suos meatus uaria in campis reliquisset animalia, relicta etiam testudo. Quae cum putrefacta esset et nerui ei remansissent extenti intra corium, percussa a mercurio sonitum dedit, quae leguntur apud Seruium in 4. Georgic. Virg. Ad III. Reg. C. X. v. 22. de Pavone Martialis Epigramma 70. L. XIII. citat. Ad Pf. LXXVII. v. 63. sic commentatur: Lamenta dicta sunt intra lares monumenta, sicut antiquis sepelire mos erat. Tum longum subdit Siglarum latinarum catalogum, paucis exceptis, ex Literis I. K. L. et M. apud M. Val. Probum depromptum. Ad initium Glossae in *Ecclesiasten* haec legas de differentia Substantiarum et Subsistentiarum, quas, ut ait, Graeci ΟυσΙΑΣ et ΠΡΟΣΑΦΕΙΣ vocant: *Quidam etenim dicebant subsistentiam. et substantiam unum uideri. et quod tres substantias dicere debeamus. Alii uero quibus longe aliud substantia. quam subsistentia significare uidebatur. dicebant quia substantia ipsam rei alicuius naturam rationemque, qua constat, designet, subsistentia autem uniuscuiusque persone hoc ipsum, quod extat et subsistit, ostendat. Ideoque propter sabellii heresim tres esse subsistentias confitendas, quod quasi tres subsistentes personas significare uideretur.**

Ne suspicionem daremus. tamquam illius fidei sectatores, que trinitatem in nominibus tantum et non in rebus ac subsistentiis confitetur. Ad nomen idoli *Rempbam Aethor. VII. v. 43.* haec notat: *significat Luciferum. cuius cultui saracenorum gens ob honorem ueneris erat mancipata.* Unde colligere licet, gentem hanc Autoris aevo jam *Mohammedis* instituta secutam fuisse. Confer, si lubet, *Cod. cit. LXIV.* ubi in *Rabanum Maurum* inclino.

IV. fol. 162. Fragmentum *Epistolae Senecae ad Paulum*, quae in *Fabricii Cod. Apocr. N. T. p. 900.* est numero XI. cum integris binis, quae *l. cit.* sunt XIII. et XIV. Ex quo adparet, cum fine praecedentis *Glossae* etiam initium harum *Epistolarum* e Codice intercidisse. Vide, quae in earum *ιστοριαν* commentatur doctissimus *Fabricius l. cit. et P. III. p. 710.* In Codice lectio corruptior est, quam in editis. Adhaeret Enumeratio *Fortium Davidis* ex II. Reg. c. 23. ad cuius calcem legitur: *Explicit liber feliciter. Cuiusque Operis finem (finis) uenit. Premium finem non habet.*

V. fol. 163. alia aequae antiqua manu: *Sermo Sancti Augustini De Ebrietate.* Initium: *Frequenter caritatem uestram fratres paterna pietate admonui &c.* Extat in *append. T. V. Opp. Paris. 1683. col. 493. f. sed. est Caesarii Arelat. et legitur inter ejus Homilias Bibl. PP. Lugd. T. XXVII. p. 329.*

VI. fol. 164. p. 2. Alii duo *Sermones ἀνεπίγραφοι*, quorum Autores frustra indagavi. Prior impiorum et piorum conditionem in morte exhibet inducendo eos cum malis et bonis genis sermocinantes. Initium est: *Primum decet uos audire iusticiam &c.* Finis: *Iusti autem in uitam eternam.* Alter imaginem boni et mali Christiani adumbrat hoc initio: *Gaudemus fratres karissimi et deo gratias agimus secundum desideria nostra incolomes uenire meruimus &c.* Ultima sunt: *de qua pena nos pius dominus liberare dignetur qui cum patre &c.* Neuter magni momenti.

VII. fol. 166. p. 2. legitur: *Anno dominicae incarnationis.*

Guntherus sensit Romana fulmen ab arce.

Is enim anno et mense supradietis obiit, die nobis 9. *Gelenio* 8.

Notam hanc mox subsequitur Formula *Manumissionis* ea lege, ut quis in natale domini siue in pascha dare atque transfoluere debeat tantum unam tremisatim de cera in luminaribus ad ecclesiam beati petri apostolorum principis, que constructa infra muros colonie. De hac ecclesia *Gelenius* L. III. p. 403. De voce *Tremisatis*, quae tertiam partem *Affis* indicare videtur, confer *Ducangium* in edit. *Maur.* v. *Tremissis*.

VIII. fol. 167. absque titulo: *Theodulphi Ep. Aurelianensis Capitula ad Presbyteros Parochiae Suae*, primum a *Baronio* ad an. 835. edita, a variis dein, ut vi-

Denis Codd. mss. theol. Bibl. Palat.

DCCCLXXI Indiccione IV. XV. Kl. F. Uuillibertus ad episcopum consecratus. Eodem anno mense iulio. VII id. iul. fulm. ictus. col. prima fr. Anno LXX. consecrationem *Williberti* f. *Weriberti* Ep. *Coloniensis* adsignat *Aeg. Gelenius* L. I. de *Coloniae Magnitud.* p. 43. Quis vero ille *Coloniae fulmine ictus*? Non sane *Willibertus*. Si quid suspicari licet, imperfectam reliquit notam hanc chronologicam *Librarius*, ut patet inspicienti codicem, addendumque erat: *Guntherus* seu *Guntharius Williberti* antecessor a *Nicolao I.* fidelium communione privatus, de quo *Gelenius* I. cit.

dere est in *Bibl. Fabricii* L. 19. repraesentata usque ad *Harduinum*, in cuius *Collect. Concil.* leguntur T. IV. col. 911. Initium: *Obsecro uos fratres dilectissimi ut erga subditarum plebium profectum &c.* *Harduinus* Capitula numerat XLVI. sed *Codex* noster cum ejus Capitulo XLI. deficit. Censet tamen Capitula XXXVIII. hac ratione: XV. et XVI. in unum contrahit, XIX. non agnoscit, XXXVI et XXXVII. rursus sub uno comprehendit. Lectio non raro variat. En aliquot specimina: *Cap. II. Hard. vita viri iusti lectione instruitur, ornatur. Noster: Oratione ornatur. Cap. III. Hard. quem a lectione siue ab oratione vacantem inuenerit. Noster:*

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 751

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I. Wien 1793.

1011

C O D I C E S

1012

sive ab oratione sive ab operatione &c. Cap. IV. Hard. nec non duos aut tres clericos. Noster addit: sive laicos. Melius ubique Noster, ut conferenti patebit.

IX. fol. 173. p. 2. eleganti manu sed aequae antiqua: *Brevis adnotatio capitulorum In quibus constitutiones conciliorum mogontiacense. et remis. et cabillione et turonis. et arelato gestorum concordant. et in quibus unum quodque proprias constitutiones habeat &c.* Index hic materiarum 6. occupat paginas, fidemque facit, omnium horum V. Conciliorum Decreta olim in hoc Cod. conjuncta fuisse. Verum, quae etiamnum supersunt, mox Lector cognoscet. Et fol. quidem 176. p. 2. incipit *Concilium Moguntiacum* Quintum jussu *Caroli M.* celebratum a. DCCCXIII. in Claustro Basilicae *St. Albani.* Praefationis initium est: *In nomine Patris et filii et spiritus sancti. gloriosissimo et christianissimo imperatori Karulo. augusto vere religionis rectori &c.* Extat hoc Concilium post *Crabium, Surium, Binium, Sirmondum &c.* T. I. *Concil. Germ.* p. 404. ibique *Canones* censet LV. e quibus in Cod. nostro non nisi XV. priores habentur, membranarum, quibus reliqui et sequentis *Concilii Cabillonensis* initium continebatur, deperditis. Ultima nobis verba sunt *Can. 15. atque uniuersis utiliora prouideat.* Melioris lectionis vix quidquam ex isthoc exemplo erui possit.

X. fol. 181. *Concilii Cabillonensis* II. anno DCCCXIII. iussu *Caroli M.* celebrati *Canones* a *Can. XX.* qui incipit: *Si inter omnes fideles pax et concordia habenda est &c.* usque ad finem: *scripturarum prata percurrere non desistat.* Extat hoc Concilium post alios in *Collect. Labb.* edit. *Venet.* T. IX. col. 357. et *Harduin.* T. IV. col. 1029. quibuscum collatus *Codex* paene nihil variare deprehensus est.

XI. fol. 186. p. 2. absque inscriptione Initium *Concilii Turonensis* III. ibidem anno DCCCXIII. *Caroli M.* jussu convocati, cujus *Praefatio* sic incipit: *Quantum piissimi Imperatoris nostri excellens animus &c.* Extat integrum *Labb.* T. cit. col. 347. *Hard.* col. 1021. Nos primos modo *Canones* usque ad XII. verba haec: *maneat in episcopo* — — — conseruamus, qui ab editis vix quidquam abludunt. Deperdita itaque ex Cod. praeter ea, quae adduximus, sunt integra Concilia *Rhemense* II. et *Arelatense* VI. Quae omnia, ut olim in nostro, conjuncta extare in quodam Cod. *Metropolitano Coloniensi* testatur *Harzbemius Conc. Germ.* T. I. p. 413.

XII. fol. 188. et ult. Fragmentum *Martyrologii metrici Venerabili Bedae* tributi, quod integrum edidit *Lucas Acherius* e Cod. *S. Remigii Rhemensis* a *Job. Mabillonio* descriptum T. X. *Spicil.* p. 126. Incipit ab ultimo versu Junii: *Maxima quos palma clarat*

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 751

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I. Wien 1793.

1013

P A T R I S T I C I.

1014

clarat sibi lu — — — neque, nisi festos continet. Nihil in *Augusto*
praecipuos cuiusvis Mensis dies de *Machabaeis*, fed:

Augustus sextum octavis tenet idibus alnum.

In *Septembri* melius noster: *Quis meruit nasci* (idibus) quam *Achearius*: *Qua meruit* &c. In *Novembri* melius: *laude decorus*, quam: *laude decoris*. Univerfim in XXIII. quos *Codex* exhibet, *versibus* praeter *Servatorem* ejusque *matrem* non nisi *Petrus et Paulus*, *Xystus*, *Laurentius*, *Bartholomaeus*, *Johannes Bapt. Michael*, *Simon et Judas*, *Omnes SS. Martinus*, *Andreas*, *Thomas*, *Stephanus*, *Johannes Apost. Innocentes* et *Silvester* memorantur. Unde suspicari quis posset, *Martyrologium* istud *Beda* antiquius cum ab ipso, tum ab aliis *successu* temporis *auctum* fuisse.

A *versibus* his statim incipiunt *superstitiosae* quaedam *adjurandi Formulae*, v. g. *Ad Vermes occidendos*, *Contra Sagittam Diaboli*, *Ad Pullos de nido* &c. quibus quaedam etiam *Francotheotisca* immixta sunt multum jam *adtrita* et *fugientia*. Inter alia *Apibus* sic praecipitur: *Vos estis ancille domini. Uos faciat opera domini. Adiuro uos per nomen domini ne fugiatis a filiis hominum.*

CCLXXVIII. VII. H. 21

699 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 134. 4. a diversis

*Cives celestis Patrie
 Regi regum concinite*

Librariis exaratus, et olim *Monasterij sancti Mathie apostoli extra muros treuerenses* *Sequentia* nunc continet: I. *Fl. Alcuini Libros III. de Trinitate*, et, ut addit *Noster*, *de Incarnatione Christi*, praevia ad *Carolum M. Epistola*, prout extant edit. *Ratisb. 1777. T. I. Vol. II. p. 703.* Ad quam *Editio* nem tamen non videtur *adhibitus Codex* praefens, qui in *praemissi Hexastichi v. 4. ornet pro salvet*, et *C. I. pro pervenire volentibus legit festinare volentibus* &c. Ad *calcem* omissa *Invocatione Trinitatis* statim *Sequitur Credo.*

II. *fol. 33. p. 2. Incipit epistola domini Alcuini ad fredegisum suum discipulum.* Hujus *initio* absque *dubio* cum *Nostro* legendum: *quibus fortasse ab aliis vestre aures sapientie inquietari putamus.* Sequuntur *Quaestiones XXVIII. de Trinitate*, ut in *Edit. supracit. p. 739.*

III. *fol. 36. p. 2. adscriptus est Hymnus*, quo *mysticus XII. Gemmarum Apocalypticarum Significatus* exponitur. *Ejus initium:*

*Qui est supremus opifex
 Civitatis uranice.*